

tro superducto plane proscindendus, lacerata dumtaxat veste, surrexit illæsus. Quo periculo, ut ad tutiorem regulæ disciplinæ palæstram vocanti jam pridem Deo pareret, admõnitus, rústica supellectili pauperibus distribui jussa, ad fratres Minõres, quos Capuccinos vocant, prospere se cõn- tulit.

℞. Honestum fecit illum Dõminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductõribus tutavit illum : * Et dedit illi claritatem æternam. ✠. Justum deduxit Dõminus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

Lectio v.

ADhuc tiro, necdum vota solèmnia professus, religiõsæ perfectiõnis apicem jam attigisse videbatur. Obedientiæ sèdulus cultor, ad præcipièntis non modo verbum, sed etiam nutum præsto erat : seque cõnõbii jumentum dicitans, vilissima quæque ministèria semper arripuit, ac ludibria et contumèlias hilarivultu excipiebat. Paupertatis quam esset studiõ-

sus, illústri documentõ Deus ipse declaravit. Ostiatim enim per vicos, et platéas alendis fratribus mendicans (quod ille munus per annos quadraginta nudis fere semper pèdibus obivit), cum die quadam inusitatò pondere se opprimi sentiret, manticam scrutatus, injectum clam nummum deprehendit : quo projecto, nec sine indignatione proculcato, alacer et levis inde abiit. Castitatem, quam usque ab obitum servavit illibatam, (sanctus corpore et spiritu, a Paulo quinto propterea appellatus), vigili oculorum custodia, et voluntario corporis cruciatu communivit; asperimo flagello se quotidie cruentans, ac ferreo cilicio constrictus, septem etiam Urbis basilicas identidem invisens. Jejunia ordinis inedia quandoque cumulavit. Lectus ejus doloris potius quam quietis erat : brevem quippe somnum flexis nuda super tabula genibus, ac fasce sarmen- torum capiti supposito, carpèbat.

℞. Amavit eum Dõminus, et ornavit eum : stolam gloriæ induit eum,

* Et ad portas paradisi coronavit eum. ✠. Induit eum Dõminus loriceam fidei, et ornavit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

Vitæ austeritate sibi asper, aliis carus acceptusque sanctis præsertim Cárolo et Philippo Nèro, simplicitate atque innocentia semper fuit. In oratione pernõctans, dulcissimam frequenter ecstasim est passus : et aliquando in ulnis suis reclinatam a Virgine Matre puerum Jesum suavissime complècti meruit. Prophe- tiæ gratia, et miraculorum clarus, demortuum etiam filium matri vivum restituit. Meritis tandem in bona senectute cum- latus, secunda (ut prædixerat) fèria Pentecostes ad cœlestem patriam, Deipara invitante, lætus abiit. Ejus corpus in ecclesia sui ordinis summa Urbis veneratiõne colitur, Dõmino crebris miraculis servi sui sanctitatem illustrante, quem propterea Urbânus Papa octavus Beatõrum, Clemens vero undecimus Sanctõrum fa- stis ascripsit.

℞. Iste homo. [105]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xj.

In illo tempore : Respondens Jesus dixit : Confiteor tibi Pater, Dõmine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. **Serm. ix. de Verbis Domini, n. lxx.**



Mnia sæva et im- mania, prorsus facilia et prope nulla efficit amor. Quanto ergo cèrtius, ac facilius ad veram beatitudinem caritas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit! Quam facile toleratur quælibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, et æterna requies comparatur! Non immerito ille vas electiõnis cum ingenti lætitia dixit : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram glõriam, quæ revelabitur in nobis. Ecce unde illud jugum suave est, et sarcina levis; et si angusta est paucis eligentibus, facilis

tamen ómnibus diligéntibus. Dixit Psalmísta : Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de ómni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

SED quæ dura sunt laborántibus, eisdem ipsis mitéscunt amántibus. Propter quod ita divínæ pietátis dispensatióne actum est, ut intérior homo, qui renovátur de die in diem, non adhuc sub lege pósitus, sed jam sub grátia exonerátus sarcinis innumerábiliu observatiónum, quod erat revéra grave jugum, sed duræ cervici conveniénter impósitum, facilitáte simplicitatis fidei, et bonæ spei, et sanctæ caritátis, quidquid molestiarum exterióri hómini forínsecus intulisset ille princeps, qui missus est foras, interióri gáudio fieret leve.

R. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. **Gloria. Et.**

Lectio ix.

Nihil enim tam fáci- bonæ voluntáti est, quam ipsa sibi, et hæc súfficit Deo. Quantúmlibet ergo sæviat iste mundus, veríssime Angeli, nato in carne Dómino, clamavérunt : Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis: quia ejus qui natus erat, suáve jugum est, et sarcínalevis. Et sicut dicit Apóstolus : Fidélis Deus, qui nos non sinit tentári supra id, quod póssumus ferre, sed facit cum tentatióne étiam éxitum, ut possímus sustinére.

Te Deum. 18.

DIE XXIII. MAIL.

S. Joannis Baptistæ
de Rossi
Confess. Duplex.

Omnia de Comm. Conf.
non Pont. [97] præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui sanctum Joánnem Baptistam Confessórem tuum in evangelizándis paupéribus caritate et patientia decorásti : concéde quæsumus, ut cujus pia mérita venerámur, virtutum quoque imitémur exempla. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánes Baptista de Rossi Veitúrii in Ligúria honésto genere ortus, adhuc puer morum suavitate ac pietatis studio in ómnium admiratióne fuit. Trédecim annos natus visus est Dei consílio Romam mitti, ut apóstoli munus in ea expléret. Inter ephébos colégii Románi Societátis Jesu alléctus, ingenio et virtute præluxit. Curábat impénse, ut ii Mariáno sodalítio frequétes adésent, in nosocomiis ægris ministrárent, honestaque animórum recreatióne retraheréntur a nóxiis; interim cœlestia sermónibus pertráctans segnióres excitábat, ac proinde apóstoli agnómen adéptus est.

Ob ásperam córporis castigatióne gravi morbo corréptus, ab usitata sibi studiórú severitate aliquántum remittere coactus fuit : quod divinitus factum aiébat, ne sciéntia inflátus sua pótius quæreret, quam quæ Jesu Christi. Clericali militiæ ascriptus sacris disciplinis in sancti Thomæ colégio óperam dedit, ac in virtute proficiens, dein ingénti ánimi voluptate sacerdotio est auctus. Ita Dóminum in hereditatem sibi constituit, ut nullum, ne oblátum quidem, ecclesiásticum beneficiu acceptandi, nisi obediéntia adigerétur, singulári voto se obstrínxerit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritatem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

DE spirituáli proximórum salúte jam ab adolescéntia sollicitus, sacerdos factus in id totum se devóvit. Ecclesiásticos viros, sacras vírgines, op-

pidános, cárcere deténtos, imam plebem univérsam mira suavitate, verbi ministério ad virtútis amórem inflammábat. Plures quotidie horas rudiórum confessiónibus excipiéndis impéndens, ægróti áderat vel in dómibus vel in valetudináriis, præsertim phthísicis, quos sui véluti juris esse affirmábat. Hac illac per urbem álacer ádvólans, innúmeris opéribus præsto erat : at assíduus in sanctæ Gallæ hospítio versabátur, ut páuperes, quos caríssimos hábuit, omni ope júvaret. Ob id a décimo quinto ætátis anno adjúctus Sacerdótum cœtui, qui eisdem evangelizándo addícti sunt, ibi apostolátus sui ratiónem dídidit, ipsíusque societátis ópera instaurávit et auxit. Eádem misericórdia motus egenórum ómnium necessitatibus sublevándis módicam suam substántiam impéndit. Perénnes autem infatigábilis sui zeli fructus relíquit, satéllitum, vagórum, rúdiúm institutionem, catecheses ad sancte Pascha celebrándum, certam custódiam perditárum, noctúque per

Urbem vagántium mulierum hospítium, præcipue vero stúdiúm lucrándi ánimas in clero excitátum.

✠. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ✠. Induit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio bj.

CARITÁtis in Deum ardor ex ejus ore emicábat, dum sacris operabátur, nec sine lácrymis de ejus bonitate loqui pótérat. In collégium canonicórum basilicæ sanctæ Mariæ in Cósmedin ex obediéntia cooptátus, inter psalléndum extra sensus rapi videbátur. In sacris cæremóniis diligentíssimus, domus Dei decórem promovit, et in id suas opes libénter erogábat. Amórem erga Déiparam in álios effundébat, ejúsque cultum in sua ecclésia fovit, áddito étiam psalmódiæ quotidiano laudum præcónio. Philippi Nérii spírítu imbui studens, et in omnes Cœlites pius, Apostolórum princípum obséqium augéndum curávit. In oratióne omnique virtútum exer-

citatióne assíduus, supérnis quoque charismátibus donátus, tandem in hospítio, cui nomen a sanctíssima Trinitate, quo se redúxerat in sacerdotum convíctum, labóribus fractus ad vitæ éxítum addúctus est, atque Ecclésiæ sacraméntis reféctus, caritátis ópera et páuperum curam comméndans, decéssit in ósculo Dómini, die vigésima tértia Maii, anno Christi millésimo septingentésimo sexagésimo quarto, ætátis suæ sexagésimo sexto. In sígno ádeo sacerdotális virtútis exémpplar miráculis Deus illustráre dignátus est, quibus rite probátis, summus Póntifex Pius novus tértio Idus Maii anno millésimo octingentésimo sexagésimo cœlitum Beatórum honóribus auxit : novisque fulgéntem sígnis Leo décimus tértius sexto Idus Decémbris anno millésimo octingentésimo octogésimo primo in Sanctórum albo recénsuit. ✠. Iste homo. [105]

In III. Nocturno.

Homil. Sancti Evangelii. de Communi j. loco. [108]

✠ Ubi sunt concessæ dicuntur sequentes Lect.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio bj. Cap. xxv. xxxj.

IN illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Cum vénerit Fílius hóminis in majestáte sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedébit super sedem majestátis suæ. Et reliqua. Homilía sancti Cypriáni Episcopi et Mátyris.

Lib. de opere et elemosynis, circa finem.

Ræcépta ille nobis dedit, quid fácere servos suos oportéret instrúxit ; operántibus præmium pollicitus, et supplicium sterílibus comminátus, senténtiam suam prótulit, quid judicatúrus sit ante prædixit. Quæ potest excusátio esse cessánti, quæ defénsio steríli, nisi quod non faciénte servo quod præcípitur, Dóminus faciet quod minátur, qui et dicit : Cum vénerit Fílius hóminis in claritate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedébit in throno claritátis suæ, et colligéntur ante eum omnes gentes, et segregábit eos ab invicem.

✠. Iste est qui ante Deum magnas virtútes

operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum : * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. *℟.* Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse.

Lectio viij.

Quid potuit nobis majus Christus edicere, quomodo magis potuit justitiae ac misericordiae nostrae opera provocare, quam quod praestari dixit sibi quidquid egenti praestatur et pauperi, et se dixit offendi nisi egenti praestetur et pauperi; ut qui respectu fratris in ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur, et qui non cogitat in labore atque in egestate conservum, vel Dominum cogitet in ipso illo quem despicit constitutum? Et idcirco, fratres carissimi, quibus metus in Deum pronus est, et spreto calcatoque jam mundo ad superna et divina animus erectus est, fide plena, mente devota, operatione continua promerendo Domino obsequium praebemus. De-

mus Christo vestimenta terrena, indumenta caelestia recepturi. Demus cibum et potum saecularem, cum Abraham et Isaac et Jacob ad convivium caeleste venturi. Ne parum metamus, plurimum seminemus.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. *℟.* Vigilare ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Quo aequalitatis exemplo qui possessor in terris redditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac justus est, Dei Patris imitator est. Quae illa erit, fratres carissimi, operantium gloria, quam grandis et summa laetitia, cum populum suum Dominus ceperit recensere, et meritis atque operibus nostris praemia promissa contribuens, pro terrenis caelestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis

magna praestare, offerre nos Patri, cui nos sua sanctificatione restituit, aeternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos Sanguinis sui vivificatione reparavit, reduces ad paradisum denuo facere, regna caelorum fide et veritate suae pollicitationis aperire. Haec haereant firmiter sensibus nostris, haec intelligantur plena fide, haec toto corde diligantur, haec indesinentium operum magnanimitate redimantur. *Te Deum. 18.*

DIE XXIV. MAIL.

B. Mariae Virginis sub titulo Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. Mariae V. [191] praeter seq.

IN I. VESPERIS.

Hymnus.

Sæpe dum Christi populus cruentis Hostis infensi premeretur armis, Venit adiutrix pia Virgo celo Lapsa sereno. *Prisca* sic Patrum monumenta narrant, *Templa* testantur spoliis opimis

Clara, votivo repetita cultu

Festa quotannis.

En novi grates liceat Mariae

Cantici laetis modulis referre

Pro novis donis, resonante plausu

Urbis et Orbis.

Oh dies felix, memoranda fastis,

Qua Petri Sedes fidei magistrum

Triste post lustrum reduncem beata

Sorte recipit!

Virgines castae, puerique puri,

Gestiens clerus, populisque grato

Corde Reginae celebrare caeli

Munera certent.

Virginum Virgo, benedicta Jesu

Mater, haec auge bona : fac, precamur,

Ut gregem Pastor Pius ad salutis

Pascea ducat.

Te per aeternos veneremur annos,

Trinitas, summo celebranda plausu;

Te fide mentes, resonoque linguae

Carmine laudent.

Amen.

✠. Dignare me laudare te Virgo sacrata. ✠. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Aña. Ecce Maria erat spes nostra, ad quam confugimus in auxilium, ut liberaret nos, et venit in adiutorium nobis.

Oratio.

OMnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi Christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius, ut tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invit. Sancta Maria, Dei Genitrix Virgo, * Intercede pro nobis.

Ps. Venite exsultemus. 2.

Hymn. Saepe. ut supra.

Inj. Nocturno, Lectiones.

Ego sapientia. [197]

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Ex Serm. de xij. stellis.

Lectio I^a.



Ehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocere: sed gratias

Deo, per unum nihilominus virum et mulierem unam omnia restaurantur, nec sine magno fenore gratiarum. Et quidem sufficere poterat Christus: siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat, esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostrae reparationi sexus uterque. Jam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: inveniatur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem Christum: nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimium mediatrice Heva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quae salutis antidotum et viris et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis; illa suggestit praevocationem, haec ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligenter

tius evangelicae historiae seriem universam: et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel levis indignationis occurrerit in Maria, de cetero suspectam habere, et accedere verearis.

✠. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cyprissus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedisti suavitatem odoris. ✠. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. — Dedi.

Lectio v.

Quod si, ut verè sunt, plena magis omnia pietatis et gratiae, plena mansuetudinis et misericordiae, quae ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei qui talem mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima caritate debitoricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator vé-

niam, justus gratiam, Angelus laetitiam. Ipsa praeterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Ipsa est quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contrivit universam haereticam pravitatem. Contriti sunt insidiantes, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Jam si Ecclesia lunae intelligenda videtur vocabulo, habes mediatricem evidenter expressam: Mulier, inquit, amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Amplectamur Mariae vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis: potens est enim.

✠. Quae est ista quae processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Vi-

dérunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam. *℞.* Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. — Viderunt.

Lectio vij.**Ex publicis Monumentis.**

Præsentiſſimum Dei paræ auxiliū ad religiōnis hostes profligandos, sæpe pōpulus christiānus mirum in modum expertus est : ex quo factum, ut sanctissimus Pōntifex Pius quintus post insignem victōriam, intercedente beatissima Virgine, a Christiānis de Turcārum tyrāno apud Echinadas insulas reportatam, in Litanis Laurentianis eādem Reginam cœlorum inter alia præcōnia Auxiliū Christianōrum appellari constituerit. Sed illud in primis memorabile est, atque explorati miraculi loco habendum, quod cum Romanus Pōntifex Pius septimus, impiōrum consiliis et armis ex apostolica Petri sede exturbatus, et arcta custōdia, præsertim Savōnæ per annos quinque, eoque amplius fuisset detentus, viis omnibus pé-

nitus interclusis, ne Dei Ecclesiā regere posset, nullo similis persecutiōnis in priscis annalibus exemplo, inopināto et præter omnium expectatiōnem cōtingit, ut ingenti plausu, ac veluti univērsi orbis manibus pontificio solio restitueretur. Quod et secundo accidit, dum iterum commoto turbine, ab Urbe discēdens sacro comitante Cardinaliū collēgio, Liguriā cōtēdit. Verum præsentissimo Dei beneficio, cessante procēlla, quæ grave minabatur excidium, Romam, plaudentibus præ novo gaudio pōpulis, reversus est. Antea tamen, quod in votis habuerat, et captivitate detentus exsequi nequiverat, aurea corōna insignem Savōnæ imaginem Dei paræ Virgini sub titulo Matris Misericordiæ solēnni ritu propriisque manibus decoravit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem Pōntifex maximus Pius septimus, totius evētus intime cōsciū, cum intercessiōne sanctissimæ Dei Genitricis, cujus potēntem opem, et ipse impēse imploraverat, et ab omnibus

Christifidelibus implorari curaverat, acceptam merito referret, in ejusdem Virgini Matris honorem, sub appellatiōne Auxilii Christianōrum, solēnne festum indixit perpetuo celebrandum die mensis Maii vigesimo quarto, faustissimi sui in Urbem reditus anniversario, approbato etiā Officio proprio, ut tanti beneficii distincta, et perennis exstet memoriā, et gratiarum actio.

℞. Ornata. [201]**In III. Nocturno.**

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. xj. d

IN illo tempore : Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

In Nativ. B. M. V.

Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis. Caelēsti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit : redempturus humanum genus, pretium univērsū contulit

in Mariam. Altius ergo intuēmini quanto devotiōnis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totus boni plenitudinem posuit in Maria : ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea novērimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis.

℞. Felix namque es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima : * Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. *℞.* Ora pro pōpulo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu : sentiant omnes tuum juvenam, quicumque tuum sanctum implorant auxiliū. — Quia ex te.

Lectio vij.

IN omnibus siquidem, et per omnia provi-dens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit,

erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebáris accédere, solo auditu territus, ad fólia fugiébas : Jesum tibi dedit mediátor-em. Quid non apud talem Patrem Fílius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia sua : Pater enim díligit Fílium. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod, licet factus sit homo, mánsert tamen Deus. Advocatúm habére vis et ad ipsum? Ad Mariám recúrre. Pura síquidem humánitas in Mariá, non modo pura ab omni contaminatióne, sed et pura singularitate natúræ. Nec dúbius díxerim, exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique Matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater.

℞. Beátam me dicent omnes generatiónes :
* Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.
℥. Et misericórdia ejus a progénie in progénies tíméntibus eum. — Quia.
Glória Patri. Quia.

Lectio ix.

Fílioli, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota

rátio spei meæ. Quid enim? Potéstne Fílius aut repélle-re, aut sustinére repúlsam? Non audíre, aut non audíri Fílius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, grátiam apud Deum: feliciter. Semper hæc invéniet grátiam, et sola est grátia, qua egémus; nímirum sola est grátia, qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus fratres? Quærámus grátiam, et per Mariám quærámus, quia quod quærit ínvenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiam, sed grátiam apud Deum : nam apud hómínes grátia fallax. Quærant álii méritum, nos inveníre grátiam studeámus. Quid enim? Non grátia est quod hic sumus? Profécto misericórdia Dómini est, quod non sumus consúpti nos.

Te Deum laudámus. 18.

AD LAUDES.

Hymnus.

TE Redemptóris Domínique nostri
Dícimus Matrem, speciósá Virgo,
Christianórum decus, et levámen
Rebus in arctis.

Sæviant portæ licet inferórum,
Hostis antiquus fremat,
et mináces,
Ut Deo sacrum populétur agmen,
Súscitet iras.

Nil truces possunt fúriae nocére
Méntibus castis, prece quas vocáta
Annuens Virgo fovet, et supérno
Róbore firmat.

Tanta si nobis fáveat Patróna,
Béllici cessat scéleris tumultus,
Mille sternúntur, fugiúnt-ve turmæ,
Mille cohórtes.

Tollit ut sancta caput in Síone
Turris, arx firmo fabricáta muro,
Cívitas David, clypeis et acrí

Mílite tuta.
Virgo sic fortis Dómini poténti
Déxtera, cœli cumuláta donis,

A piis longe fámulis repéllit
Dæmonis ictus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebrán-da plausu;

Te fide mentes, resonóque linguae
Cármine laudent.
Amen.

℥. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℞. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Añá. Ad te, o sancta Dei Génitrix, clamávimus, et per te venit Dómini auxiliúm nobis.

Oratio.

OMnípotens et miséricors Deus, qui ad defénsiónem pópuli Christiáni in beatíssima Virgine Mariá perpétuum auxiliúm mirábiliter constituísti : concéde propítius, ut tali præsidio muniti certántes in vita, victóriam de hoste maligno cónsequi valeámus in morte. Per Dóminum.

IN II. VESPERIS.

Hymn. ut in primis. [403]

℥. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℞. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Añá. Sancta Mariá succúrre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérvieni pro clero, intércéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámén, quicúm-

que tuum sanctum impló-
rant auxiliúm.

DIE XXX. MAII.

S. Ferdinandi III.

Castellæ et Legionis Regis
Confess. Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf.
non Pont. [97] præter seq.
Oratio.

DEus, qui beáto Con-
fessóri tuo Ferdinán-
do præliári prælia tua, et
fidei inimicos superáre
dedisti : concéde, ut ejus
nos intercessióne muníti,
ab hóstibus mentis et cór-
poris liberémur. Per Dñi.

Commem. simplicis. 448.
In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

LECTIO IV.



erdinándustértius,
Castellæ et Legió-
nis rex, cui Sancti
cognoméntum jam inde a
quátuor sæculis ecclesia-
sticórum et sæcularium
consensus dedére, tantum
prudéntiæ adoléscentis ad-
huc spécimen præbuit, ut
Berengária mater, Castél-
læ regína, a qua persáncte
educátus fúerat, abdicá-
tum a se regnum in filium
trástulerit. In eo, adjún-
ctis regni curis, régiæ vir-
tutes emicuére : magnaní-

mitas, cléméntia, justítia,
et præ céteris cathólicæ
fidei zelus, ejúsque religió-
si cultus tuéndi ac propa-
gándi ardens stúdiúm. Id
præstitit in primis hæréti-
cos insectándo, quos nullo-
bi regnórum suórum consi-
stere passus, própriis
ipse mánibus ligna com-
buréndis damnátis ad ro-
gum advehébat. Præstitit
insuper in erigéndis, do-
tándis, et consecrándis
christiáno ritu Cordubénsi,
Giennénsi, Hispalénsi,
et aliárum úrbium ecclé-
siis, Máurico ereptárum
jugo, simúlque in instaurá-
ndis primáriis templis
Toletáno, Burgénsi, et aliis
pia et régia munificéntia.

R. Honéstum fecit illum
Dóminus, et custodívit
eum ab inimicis, et a se-
ductóribus tutávit illum :
* Et dedit illi claritátem
aétérnam. **V.** Justum de-
dúxit Dóminus per vias
rectas, et osténdit illi re-
gnum Dei. — Et dedit.

LECTIO V.

INter hæc per Castellæ
et Legionis regnum,
in quo patri Alphónso suc-
cèsserat, colléctis magnis
exercítibus, ánnuas expé-
ditiónes contra Saracénos,
christiáni nóminis hostes,

suscépit. In quibus, ut
semper vínceret, præcipui
exercítus fuére præces
piíssimi regis ad Deum
fusæ, et quod ante pu-
gnam, ut sibi Deum propi-
tiáret, flagris in se sæ-
viébat, atque áspero cil-
licio muniébat corpus :
sicque insignes contra in-
géntes Maurórum ácies
victórias reportávit, et
plures urbes christiáno
cúltui imperiíoque resti-
tuit; et conquistis Gién-
nii, Córdoba et Múrtiæ
regnis, ac Granaténsi ve-
ctigáli facto, ad expu-
gnándam Hispalim primá-
riam Boéticæ urbem, hor-
tánte in visióne (ut tradi-
tum est) beáto Isidoro,
olim illius urbis Episcopo,
victória signa trástulit.
In ea obsidióne, ut fertur,
præséntem divínam opem
hábuit : nam férream caté-
nam, quæ super Boétim
transvérsim exténsa Ma-
hometánis pro repágulo
erat, coórto validióri ven-
to, una ex návibus régiis,
regis jussu eodeláta, tanto
ímpetu fregit, ut lóngius
prætervécta pontem quo-
que ligneum, et simul
spes Maurórum obrúperit,
et ad deditiónem coégerit.

R. Amávit eum Dóminus,

et ornávit eum : stolam
glóriæ induit eum. * Et
ad portas paradísi coro-
návit eum. **V.** Induit eum
Dóminus lorícám fidei, et
ornávit eum. — Et.

LECTIO VI.

TOT victórias beátæ
Virginis Mariæ pa-
trocinio ferébat accéptas,
cujus imáginem secum in
castris habens peculiári
cultu prosequébatur. Ca-
pta Hispali, prima religió-
nis cura fuit; nam tem-
plum Maurórum expiá-
tum, et Christianórum
dedicátum sacris, insigni
archiepiscopátu, et hone-
stíssimo canonicórum et
dignitátum collégio, régia
et religiósa liberalitáte
exornávit. Alia deinde in
urbe templa et cœnobia
eréxit : inter quæ pietátis
officia, dum trajicere in
Africam parat, Mahome-
tánum in ea impérium
eversúrus, ad cœlestem
régiam vocátur. In extré-
mo vitæ agóne sacram
Eucharístiam pro viático
allátam, fune ad collum
alligáto, et humi stratus,
cum lácrymis ubértim fu-
sis adórans, eáque dignis
reveréntiæ, humilitátis,
et cathólicæ fidei obstata-
tiónibus accépta, obdor-

mívit in Dómino. Jacet ejus corpus incorruptum adhuc post quatuor sæcula in templo máximo Hispalénsi, honorificentissimo inclúsum sepúlcro.

℞. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homilia. Pusillum gregem, de Comuni ij. loco. [115]

Lectio ix. et Commem. simplicis. 448.

DIE II. JUNII.

B. Mariæ Annæ a Jesu de Paredes

Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum [122] præter seq.

Oratio.

DEus, qui inter sæculi etiam illécebras beatam Mariam Annam, ut lílium inter spinas, virgínali castitate, et jugi pœniténtia floréscere voluisti : præsta quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne retrahámur a vitiis et perfectióra sectémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

aria Anna a Jesu de Parédes, Quiti in America meridionali claro genere nata,

ab ipsa pene infántia perfectam vivéndi ratióner iniiit. Mirábilis in ea morum intégritas et candor; ardens in Deum pietas, constans erga immaculatam Dei Genitricem cultus et observántia; assíduum precándi stúdiu. Vix decimum ætátis annum ingressa se totam Deo arctissime obstrinxit, tribus emissis perpétuæ castitátis, paupertátis, et obediéntiæ votis, quæ ad óbitum usque sancte servávit. Cum laudes audiret, trium e Societate Jesu Mártyrum, qui in Japoniæ regno pro christiána fide sánguinem profudissent, inusitato quodam divínæ glóriæ propagandæ ardore succénsa, clam se ad iter accinxit, ut apud bárbaras gentes lumen veritátis inférret. Verum cum initu exsequi consílium mínime potuisset, divínæ acquiescens voluntáti própria in domo sibi recessum parare constituit, ubi procul ab humanis curis uni Deo conjunctissime viveret.

℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : * Et deducet te mirabiliter dextera tua,

Spécie tua et pulchritudine tua, inténde, prospere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

ITaque in partem suarum ædium interiorem unquam prodibat in publicum, nisi vel caritas erga próximos, vel pietatis officia explenda urgerent. In eo autem secéssu, tamquam in erémo, antiquis severiorum patrum exemplis innovatis, innocentissimum corpus mirum in modum continenter vexavit. Caput corona spinea, pectus et latera rigenti cilicio, pedes lapillis, omnesque artus flagellis, et ferreis catenis ac inauditis quibusdam artibus, quas Christi Domini amor suggerébat, semel atque iterum diu noctuque cruentabat. Ad majorem sui afflictationem lectulo ex asséribus, vel cruce acutissimis spinis intertexta utebatur, cibo adeo tenui, ut octavo, quandoque etiam decimo quoque die vix unica aridi panis uncia vesceretur. Erga omnes tamen comis et affabilis, animos etiam perditorum hominum sibi demerebatur, quos ex omni

ordine a vitiarum foeditate ad vitæ honestatem, suis consiliis et precibus traduxit.

℞. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

Lectio vj.

HIS aliisque auctam virtutibus Deus famulam suam multis preclarisque muneribus illustravit. Assidue rerum divinarum contemplationi dedita, dies noctesque pene integras in Dei amore quiescebat; nec defuerunt qui eam sublimem a terra, animo a sensibus avocato, et vultu celesti luce radiante ab se visam confirmarent. Prophetiæ et scrutationis cordium dono insignis, non solum futura et absentia prenuntiavit, sed animos hominum, cogitationes et maculas introspexit. Nec minor in morbis depellendis vis exstitit. Multis enim extremo morbo laborantibus, aut crucis signo, aut aquæ sacræ aspersione desperatam corporis sanitatem

restituit; et mórtuam féminam suis précibus in vitam revocávit. Ita erga omnes caritáte affécta, vitam dénique ipsam, dum atra lues grassaréetur, pro civium incolumitate Deo obtulit, et morbo corrépta placidissimo éxitu migrávit ad Sponsum, anno milésimo sexcentésimo quadragésimo quinto, ætátis suæ sexto et vigésimo. Statim post óbitum ex ejus sanguine concrétó candidíssimum lílium pródiit, ex quo ipsa Quiténsis lílii nomen obtínuit. Fama autem sanctitátis longe latéque diffúsa, et a Deo plúribus signis confirmáta, Pius nonus Póntifex máximus puríssimam vírginem solémni cæremónia sacris Beatórum fastis ascrípsit.

℞. Afferéntur. [133]

In *ij. Nocturno, Homilia.* Sæpe vos, fratres, de *Comuni j. loco.* [136]

DIE IX. JUNII.

Beatæ Mariæ Virginis
Matris Gratiarum.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B.M.V. per Ann. [191] præter seq.

In utrisque Vesperis.

℞. Ave María, grátia plena. ℞. Dóminus tecum.

Ad Magnificat, Aña. O beáta Virgo María : tu vénia vena, tu grátia Mater, tu spes mundi, exáudi filios tuos clamántes ad te.

Oratio.

DEus, qui humano géneri beátæ Mariæ virginitáte fecúnda reparatiónis grátiam contulisti : concéde, ut quam grátia Matrem appellámus in terris, ejus felici consórtio perénniter fruámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemor. SS. Primi et Feliciani, ut in Brev. 470.

In j. Nocturno, Lectiones. Ego sapiéntia. [197]

In II. Nocturno.

Sermo sancti Thomæ Eoíscopi. *Conc. j. de Annunt.*

LECTIO III.



Dmirándam omnique virtúte præstantem Genitricem Dei Mariam pro mei ingénii exiguitáte toto ánimi desidério laudáre desiderans, nullum fere in Sacris Litteris pótui reperire præcónium, quod ad litteram ejus nobis glóriam excellentiámque demónstret. Nam etsi de illa per prophétas plúrima

mystice dicta, fáctaque passim legántur, unde possit virtútis ejus magnitúdo constáre, in evangélicis tamen, aut apostólicis scriptis rarus de illa sermo, et multo rárior laus invenitur; quamvis, ut verum fátear, non ita siléntio trádicta sit, ut in eórum dictis virtútum ejus cláritas tenuíssimo rádio, véluti per quasdam verbórum rímulas, non eníteat. Sed unde magis ejus glóriam, virtútes, dotésque ánimi potérimus auspicári, quam ex illo mirífico ejus et Angeli collóquio? In quo præter hoc, quod angélico elóquio grátia plenissima et ómnium feminárum prima mérito prædicáture, ex gestis ejus et dictis multa nimis præconiórum ejus silva emícuit.

℞. Sicut cedrus exaltáta sum in Libano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta. * De di suavitátem odóris. ℞. Et sicut cinnamómum et balsamum aromatizans. — Dedi.

LECTIO II.

Ingressus Angelus ovánter, salutávit reverénter : Ave, inquit,

grátia plena : Dóminus tecum : plena grátia, implénda Deitáte, obumbránda virtúte ; grátia plena, de cujus plenitúdine accípiunt univérsi, de cujus abundantia totus repléndus est orbis. Et vere plena, in cujus ánimo nullus peccáto relictus est locus, nullus iniquitáti páuitacéssus. Dóminus tecum. Et quómodo tecum? non útique sicut mecum, sed sicut núllybi : tecum in córpore, tecum in mente, tecum in ánimo, tecum in consílio, tecum in útero, tecum in auxílio, tecum in ortu, tecum in éxitu, tecum in fine, tecum sine fine.

℞. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filia Sion, et beátam dixérunt, et reginæ laudavérunt eam.

℞. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. — Vidérunt.

LECTIO VI.

Conc. ij. de Annunt.

Celésti ergo legatióne audíta, sic fatur ad Angelum : Ecce ancilla Dómini : fiat mihi secúndum verbum tuum. Grandi ergo mystério, altissi-

móque Deitátis instíntu conceptúra Deum, sui méminit ancillátus, ut oriéntem a se filíum mundi obséquio mancipáret. Fiat mihi, ait, secúndum verbum tuum : et ad verbum ejus, statim in útero incarnátum est Verbum. O fiat potens, o fiat éfficax, o fiat super omne fiat, perpétuo honóre venerándum! Hoc verbo fiat factus est mundus. Hoc verbo coeléstia terréstriaque Altíssimus cóndidit : sed tale fiat non sónuít in orbe, quale tu nunc beáta dixísti. Quid enim factum est? quis dicere potest quid factum est? Natúra stupet, júdicium hæret, hebéscit sensus, lingua mutéscit, rátio déficit, intelléctus non capit quod factum est in María cum hoc prótulit verbum : Fiat mihi secúndum verbum tuum.

℟. Ornátam. [201]

In III. Nocturno.
Lectio sancti Evangélij
secúndum Lucam.

Lectio vij.

Cap. j. c

IN illo témpore : Missus est Gábriel Angelus a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth ad virginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph

de domo David : et nomen virginis María. Et réliqua. Homília sancti Augustíni Episcopi.

Serm. ccxcj. in Nativit.
S. Joannis Baptistæ.



Ngelus vero idem ipse ad Mariam Virginem : Ave, inquit, grátia plena : Dóminus tecum ; jam tecum est, qui erit in te. Dic mihi ergo, núntie Dei, quómo- do fiet istud? Vide Angelum sciéntem, illam quæréntem, non diffidéntem. Quia ergo vidit eam quæréntem, non diffidéntem, non se negávit instruéntem. Audi quómo- do : erit virginitas tua, tu tantum crede veritátem, serva virginitátem, áccipe integritátem. Quóniam íntegra est fides tua, intácta erit et integritas tua. Dénique audi, quómo- do fiet istud : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, quia fide cóncipis, quia credénd- do in útero, non concumbénd- do habébis : propterea quod nascétur de te Sanctum vocábitur Fílius Dei. Quid es, quæ póstea paritúra es? unde meruísti? unde hoc accepísti? unde fiet in te, qui fecit te? un-

de, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, sancta es, votum vovísti; sed multum, quod meruísti, imo vero multum, quod accepísti.

℟. Sub tuum præsidium confúgimus clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra et nostris delectáre láudibus, * Quibus indigni omni te laude digníssimam colaudámus. ℞. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos. — Quibus.

Lectio viij.

NAM unde hoc meruísti? Fit in te, qui fecit te; fit in te, per quem facta es; imo vero per quem factum est cælum et terra, per quem facta sunt ómnia, fit in te Verbum Dei caro, accipiénd- o carnem, non amitténd- o divinitátem. Et Verbum júngitur carni, et Verbum copulá- tur carni, et hujus tanti conjúgii thálamus úterus tuus, et hujus, inquam, tanti conjúgii, id est Verbi et carnis thálamus úterus tuus: unde ipse Sponsus procédit de thá- lamo suo. Invénit te Virgí- nem concéptus, dimíttit Virgí- nem natus. Dat fe-

cunditátem, non tollit integritátem. Unde tibi hoc? Protérve Virgí- nem vídeor interrogáre, et quasi importúne aures verecúndas ista mea voce pulsáre. Sed vídeo Virgí- nem verecúndá- tem, et tamen respon- déntem, meque admonén- tem. Quæris a me, unde mihi hoc? Verecúndor tibi respondére bonum meum : Angeli audi ipsíus saluta- tíonem, et in me agnosce tuam salútem. Crede cui crédidi. Unde mihi hoc quæris? Angelus respón- deat. Dic mihi Angele, unde Mariæ hoc? Jam dixi, cum salutávi : Ave grátia plena.

℟. Porta cœli et stella maris es Virgo María, Regis ætérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te respléndet. ℞. Tu vénia vena, tu grá- tiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. — Quia. Glória. Quia.

Lectio ix. de SS. Primo et Feliciano Mart. ut in Breviario eadem die, 470. et ex duabus Lectionibus fit una.

Si hoc Offic. transferri contingat, Lectio ix. erit sequens.